

Ann. 997, 28 aprilis.

*Bulla Gregorii PP. V, qua confirmat monasterio s. Ambrosii Mediolani privilegia et possessiones<sup>(1)</sup>.**Ex autographo in Arch. Canon. Basil. s. Ambrosii.*

PORRO.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Postquam beato Petro apostolorum principi Dominus hac  
*b* redemptor noster Jesus Christus ex utero virginis pro nostra redemptione, ut erat Deus verus ante secula, verus homo in fine seculorum apparere dignatus est, ligandi atque solvendi in celo et in terra potestatem tribuit, etiam januas regni celestis reserandas concessit, supra soliditatem fidei suam sanctam stabilire dignatus est ecclesiam, secundum illius veredicam vocem dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam, et porte inferi non prevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni celorum, ut quodcumque ligaveris super terram, ligatum erit et in celo; et quodcumque solveris super terram, solutum erit et in celo. Postquam et hujus vicarii sincerissime Deo famulantes, carentes  
*c* nebularum densitatibus tantam dignius perceperunt potestatem, et universi curam sunt sortiti regiminis, inter quos et nostram parvitatem Dei omnipotentis misericordia connumerare dignata est. Ob hoc universitati credentium nitescere volumus, quoniam abbaziam in onore celeberrimi Christi confessoris Ambrosii, nec non venerabilium martirum Protasii et Gervasii constituta, hubi eorum sacra corpora reconduntur, per hujus nostre auctoritatis privilegium integerrime corroboramus, cum omnibus ecclesiis, oraculis, cortibus, massaritiis, districtis ad ipsam respicientibus, scilicet Paxiliano, Monte, Feliciano, Ledemanno, Ceresiola, Lemonte, Capiate, Oleducto,  
 ● Campilioni, Anticiaco, Colonia, Verederio, Cavennaco, Villa Alba, Gungiano, atque cum universis ad prefatam abbatiam pertinentibus; eo scilicet ordine, ut  
*d* monachi ipsius cenobii simul cum abbate, qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint, pretaxatas ecclesias, oracula, cortes, massaritiis, servos, ancillas, aldiones et aldianas, sine alicujus majoris minorisve persone contradictione, habeant et teneant et possideant, atque in eorum usum ac sumptum, prout melius previderint, distribuunt, nostra apostolica auctoritate concedente. Si quis vero, quod non credimus, diabolico suasu contra hujus nostre apostolice concessionis

firmationem in posterum agere temptaverit, et prelibati monasterii cenobitas in aliquo, quod eis concessimus, inquietaverit, sit anathema orrendum a trecentis decem et octo patribus, et ex consensu fraudis Iude Ananieque adequetur flammis, et a Patre et Filio Sanctoque Spiritu, nec non a beato apostolico Petro maledictus in presens et futurum rei crimine astrictus semper maneat, atque a catholica ecclesia sit eliminatus, donec prenominate abbatie monachos eorumque patres digna satisfactione placare studuerit. Scriptum per manum Petri notarii et scriniarii sancte romane ecclesie, in mense aprili et indictione xi. Bene valete. Datum iiii kalendas maias per manus Johannis episcopi sancte albenensis ecclesie et bibliothecarii sancte apostolice sedis, anno Deo propitio pontificatus domini Gregorii summi pontifici et universali quinti pape in sacratissima sede beati Petri apostoli secundo; et domino Karolo a Deo coronato magnifico imperatore anno secundo, mense junio, indictione iv, feliciter. Amen. Exemplatum a privilegio de lisca sine bulla.

(1) Ritengo che questa carta è spuria, ma la do perchè è una falsificazione del secolo xii, e serve alla Corografia di que' tempi. Non so spiegare, come questa bolla in favore del monastero si trovi nell'archivio dei canonici di s. Ambrogio, loro perpetui antagonisti. I nomi delle terre contenuti in questa carta si troveranno nell'indice.